



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor  
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum  
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,  
Coordinatus, Seu Omnes ...**

**Diana, Antonino**

**Lugduni, M. DC. LXXX.**

173. An rectores Hospitalium gaudeant priuilegio fori? Ax p. 3. tr. 1. r. 66.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76442](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76442)

gere putat enim dictos Fratres remitti debere ad magnum Magistrum eorum ordinarium superiorem, cum sufficiat, quod militent sub dicta Religione, & ideo tanquam alij debent quoque fori priuilegio gaudere.

RESOL. CLXXI.

An Milites D. Ioannis gaudeant priuilegio fori? Et si dicti Equites D. Ioannis exerceant officia secularia, & in illis delinquant, an possint puniri a iudice laico?

Et an vero idem dicendum sit de Equitibus S. Stephani & S. Lazari?

Et quid de quibuslibet alijs Religionibus Militaribus tria vota emittentibus in manibus Prælati, & a sancta Sede Apostolica approbati?

Et quid sentiendum est de exemptione gabellarum? Ex part. 4. tract. 1. Ref. 86.

§. 1. Speraanea videtur hæc questio, & tamen non desuit Villadiego in polit. c. 5. numer. 112. qui hæc scripsit, [Es competente el Iuez seglar contra los caballeros de la orden militar de san Iuan en las causas ciuiles, y en las que delinquieren en officios seglares de Regidores, corregidores, y en los delittos graues.] Sic ille.

2. Sed immerito quidem: nam extra controuersiam est quod in omnibus delictis, licet grauibus, & atrocibus, supradicti milites gaudent priuilegio fori, cum sint verè Religiosi. Vnde Principes in dictos iurisdictionem exercentes contraueniunt Bullæ Cænar, & incurrant in excommunicationem. Vide Barbofam de potest. Episc. part. 2. allegat. 12. num. 45. Paulum Squillante de priuileg. Cleric. cap. 7. num. 46. & nouissimè Guazzinum de defensorum tom. 1. defensor. 1. cap. 2. num. 5. 10. Marium Nouarium de elect. fori sect. 2. quest. 69. per totam, & ideo si dicti Equites D. Ioannis exerceant officia secularia, & in illis delinquant, non possunt puniri a iudice laico, vt probat Bellert. in digress. Cleric. part. 1. tit. 3. §. 1. num. 16. Caballus centur. 1. cap. 64. Narbona in recopilat. leg. Hispan. leg. 20. glossa 20. num. 34. & ego ipse alibi.

3. An verò idem dicendum sit de Equitibus S. Stephani & S. Lazari, negatiuè responderet Elifæus Danza in pugna DD. cap. 1. de qualitate officialium, num. 81. vbi sic ait, Quod verò ad duorum Stephani & Lazari Equites, quia in corâ priuilegijs non habet Exequatur, & sic in illis militia Iesu Christi in Lusitania; isti S. Stephani à Duce Florentiæ, & in eorum delictis isti milites Lusitaniæ S. Stephani, & S. Lazari à iudicibus secularibus cognoscuntur, & fori declinatoriam non opponunt. Sic ille.

4. Sed ego in 3. part. tract. 1. resol. 61. docui supradictos Equites gaudere priuilegio fori, & adduxi multos Doctores, quibus nunc addo Nouarium de electione fori, in editione nouissima, sect. 1. q. 69. n. 31. Bonaciam de cens. disp. 2. quest. 4. punct. 3. num. 9. & Ioannem Sancium in selectis, disp. 49. num. 13. vbi sic ait, Verè Religiosos esse Equites Christi, & de Aris in Lusitania, & Montese in Aragonia, & S. Stephani in magno Ducatu Florentiæ, probabiliter arbitror, cum hi etiam milites professionem trium votorum in manibus Prælatorum emittant, non aliter ac milites S. Iacobi, Alcantaræ, & Calatranae, præter Equites S. Stephani, qui votum castitatis, obedientiæ, & charitatis emittunt, & non paupertatis, vt ex Bulla Pij IV. ad fundationem concessa anno 1560. Cosmo de Medicis Florentiæ magno Duci constat, quam ego vidi. Et idem iudico de quibuslibet alijs Religionibus militaribus tria vota emittentibus in manibus Præla-

Sup. hoc supra in Ref. 68. §. 2. in fine, &c.

Alibi ibidem Sup. hoc in Ref. not. seq.

Quæ nunc hanc sequetur, & ne prætermittas legere alios §§. eius primæ notat.

ti, & à Sede Apostolica approbati. Hæc Sanctus. Vide Caball. centur. 2. cap. 225. & Viuiam tract. de inueptor. p. 2. lib. 6. c. 2. n. 19. qui ponit Bullas exemptionis dictorum Equitum, vnde ex his apparet non esse audiendum Villadiego in polit. cap. 5. num. 116. & 117. asserentem priuilegia dictorum Equitum esse tantum localia, nam cum sint verè Religiosi, vt patet ex Bullis Pontificiis, eorum priuilegium est absolutum, & eo gaudere debent vt Religiosi in omnibus mundi partibus, vt de Equitibus D. Ioannis, D. Iacobi, Alcantaræ & Calatranae, &c. dicendum etiam est. Vnde ex his rectè docuit Barbofa de potest. Episcopi part. 2. allegat. 13. num. 14. cum Nauarro supradictos milites S. Stephani gaudere exemptione gabellarum.

Sup. hoc in Ref. seq. §. vltim. & in alijs eius annotat.

RESOL. CLXXII.

An Milites S. Stephani, & S. Lazari gaudeant priuilegio fori?

Et an dicti Equites, etiam nouissimi gaudeant exemptione gabellarum? Ex parte 3. tit. 1. Ref. 61.

§. 1. Carolus de Grassis de effect. clericatus, effect. 1. n. 115. testatur quod in hoc Regno Sicilia dicti milites non gaudent priuilegio fori, & idè procedere in Regno Neapolitano citatur Imbrinius in tr. de Iudice, & c. p. 2. n. 25. quia non habent Regium exequatur in suis priuilegijs.

Sup. hoc in Ref. præter. §. An vero. & seq. & vide doct. §. vlt. Ref. 167. & ex Ref. 168. sed ego à liano.

2. Sed quidquid sit de hac praxi, ego puto dictos milites gaudere priuilegio fori, quia connumerantur inter personas Ecclesiasticas, & profitentur religionem approbatam à Summo Pontifice, & ita docet Bonacina in Bull. Cænar. tom. 3. disp. 1. q. 16. punct. 3. num. 16. Nauarr. conf. 12. de regular. Barbofa de potest. Episc. p. 2. allegat. 12. n. 45. & nouissimè Aloysius Riccius in praxi tom. 4. resol. 76. num. 3. loquens de Religione sancti Lazari, asseruit esse veram religionem, & gaudere priuilegio canonis, & quod Pius IV. confirmando anno 1565. priuilegia dictæ religionis, exempt ipsam in omnibus casibus, in quibus est exempta religio sancti Ioannis Hierosolymitani, & etiam Marius Antoninus lib. 2. de resol. 112. cap. 63. docet dictam religionem sancti Lazari esse veram religionem.

3. Notandum est tamen hæc obiter dictos Equites etiam nouissimos gaudere exemptione gabellarum, sicut alibi diximus de nouitijs D. Iacobi, Alcantaræ, & Calatranae; quidquid in contrarium asserant nostri Regnicolæ, Maltrillus p. 3. dec. 290. num. 166. & Giurba in consilijs crim. conf. 77. n. 21. sed nostram sententiam nouissimè tenet Riccius vbi supra in praxi tom. 4. resol. 249. n. 2. vbi citat Nouarium tom. 1. 99. cap. 42.

Sup. hoc quoad equites professos in su. Ref. 1. not. præter. & pro Alibi. posito in liano. 3. huius & in tom. 7. tract. 3. Ref. 14. & pro Equitibus etiam Nouitijs sup. in Ref. 167. §. Sed &c.

RESOL. CLXXIII.

An Rectores Hospitalium gaudeant priuilegio fori? Ex part. 3. tract. 1. Ref. 66.

§. 1. Affirmatiuè respondent DD. quos citat Carolus de Grassis de effectibus clericatus effect. 1. num. 118. si promittunt in manibus Episcopi castè viuere, & portant aliquod signum super vestimentum, secus autem dicit Abbas in c. 2. n. 1. de foro competen. si isti hospitalarij vtuntur coniugio, & habent, & retinent proprium, & sunt laici.

Sup. hoc infra in Refol. 177. causam in fine.

2. At his non obstantibus Barbofa de potest. Episcopi part. 2. alleg. 12. num. 40. & Valascus conf. 105. n. 3. asserunt

asserunt simpliciter hospitalarios Prælati autoritate deputatos ad aliquod hospitale erectum autoritate Episcopi gaudere priuilegio fori. Sed de hoc dubio vide Decianum in *tract. crim. tom. 1. lib. 4. cap. 9. num. 39.* Duardum in *Bull. Cæna lib. 2. can. 15. quæst. 9. & alios.*

RESOL. CLXXIV.

*An eremita gaudeant priuilegio fori ?  
Et quid de Eremitis profugis, qui non subsunt alicui Superiori Ecclesiastico ?* Ex part. 4. tract. 1. Ref. 35.

**S. 1.** R Espondeo affirmatiuè, si edito voto paupertatis, vel alia suscepta obligatione apud Prælatum Ecclesiasticum, vel Episcopum Ordini, vel Ecclesiæ alicui speciatim addicti sint: secus autem dicendum est de Eremitis profugis, qui non subsunt alicui superiori Ecclesiastico, & ita docet Antonius de Marinis in *resol. quotid. cap. 114. num. 8.* Marta de *iurisd. part. 4. cont. 2. cas. 213. num. 4. 5. & 6.* Squillante de *privil. Cler. cap. 7. dub. 1. num. 44.* Layman. in *Theol. moral. lib. 1. tract. 5. part. 2. cap. 5. num. 4.* Barbosa de *potest. Episcopi par. 2. alleg. 12. num. 43.* Duardus in *Bull. Cam. lib. 2. can. 15. quæst. 6. num. 2.* Idem etiam docet Coninch de *Sacrament. disp. 14. dub. 15. n. 164.* & nouissime Bonacina in *Bulla Cæna disp. 1. quæst. 16. sect. 1. punct. 3. num. 18.* vbi ex Duardo extendit priuilegium fori non solum ad Eremitas, qui in communitate viuunt in aliqua Congregatione sub aliquo Prælato ex tacita, vel expressa Pontificis autoritate, quamuis non faciant professionem sed etiam ad Eremitas, qui vt *suprà* diximus, peculiarem viuendi modum tenent, habitum religiosum deferentes, alicui sacro loco ex obligatione seruientes, sub obedientia Episcopi, vel alterius Prælati, quidquid aliqui in contrarium asserant.

RESOL. CLXXV.

*An Tertiaria D. Francisci, seu Bizocche, vel Beata, vt vocant, gaudeant priuilegio fori, & possint consequi legatum pro Monachatu ?  
Et quid de priuilegio Canonis ?  
Et an viri Tertij Ordinis D. Francisci, alique similes, si collegiatim viuunt, seu cum claustralibus habitent, gaudeant priuilegio fori ?* Ex part. 1. tract. 2. Ref. 85. alias 84.

**S. 1.** G Audere, si in communitatibus viuunt, pu-  
tauit Barbosa de *potest. Episc. p. 2. alleg. 12. n. 41.* & alij penes ipsum. Difficultas verò est, si non collegiatim viuunt, sed in propriis domibus. Negatiuam sententiam docuit Carolus de Grassis de *eff. cler. a. eff. 1. num. 93.* & præter illos quos ipse citat, mordicus docet hanc sententiam Ceual. in *tract. de cognitione per viam violentia. p. 2. q. 61. vbi n. 24.* asserit, quòd etiam si collegiatim suprascripti Fratres viuunt, non gaudent priuilegio fori ex determinatione Leonis X. Et sic non est amplius de hoc dubitandum, cum causa sit iudicio Ecclesiæ decisa. Ita ille.

2. Sed fallitur: nam, vt benè notant Poncius, vbi *infra*, & Ioan. Baptista Contertus in *collect. priuileg. tit. 23. c. 14. in fine*, postea suprascriptus Pontifex per aliam suam Constitutionem in specie illud Breue derogauit, & deinde Paulus IV. Gregor. XIII. & Sixtus V. in eorum literis, dictorum priuilegiorum confirmatoriis, eiusdem Concilij Lateran. Decretis derogarunt. Ergo non benè assent Ceuallos, hanc  
Tom. 1. X.

sententiam esse ab Ecclesia decisam, & idè multi contrariam opinionem tuerentur, nempe, suprascriptas mulieres, quamuis possint contrahere matrimonium; tamen interim, donec religiosè viuunt, gaudere priuilegio fori, & canonis, sicut Clerici in minoribus: & Nouitij possunt contrahere matrimonium: & tamen fori priuilegio gaudent. Et in fauorem dictarum mulierum tertij Ordinis D. Francisci, nouissime ex Felino, & aliis docet Gratianus in *discep. tom. 3. cap. 413. num. 38.* & ex Theologis Rodriguez in *99. regular. tom. 2. q. 63. art. 5.*

2. Sed quid ego sentiam, dicam breuiter. Igitur, si viri huius Ordinis collegialiter viuunt, & mulieres, si vitam virginalem simpliciter, expressèque vouerint, etiam si habitent in propriis domibus, puto priuilegio fori gaudere, Et ita docet Basilius Ponticius de *impen. matr. caus. 27. c. 19. §. 5.* Portell. in *duobus regular. ver. Tertiarij. n. 7.* Piafescius in *praxi Episc. nouissima. p. 2. c. 3. art. 7. n. 11.* & Gherubinus in *compen. d. Bullar. tom. 1. conf. 22. Leonis X. Schol. 2.* ex declaratione Illustriss. Cardinalium ita asserentium: [Sacra Congregatio Cardinalium Tridentini Interpretum consulta respondit, Fratres Tertiarios, Mantellatos, Corrigiatos, aliosque similes, ita demum Ordinis, cuius tertie Regulæ habitum assumpserunt, priuilegijs potiri, & ab Ordinarij iurisdictione exemptos esse, si viri collegialiter viuunt seu cum Claustralibus habitent, & mulieres virginalem, seu cœlibem, aut castam vidualem expresso voto, & sub dicto habitu vitam traduxerint, quemadmodum cauetur Constitutione Concilij Lateranen. sub Leone X. quæ habetur *sess. 11. in fine.* Hoc autem voto mulierum, alia duo, scilicet, paupertatis, obedientiæ nequaquam includi. Quinimo huiusmodi mulieres, si vitam virginalem, aut cœlibem simpliciter, expressèque vouerint, etiam in consanguineorum, & affinium suorum, aut propriis domibus, vel seorsum habitantes, suprascriptis priuilegijs ordinis, cuius tertie Regulæ habitum deserunt, exemptionèque ab Ordinarij iurisdictione frui debere, quemadmodum idem Leo postea declarauit, Constitutione edita die prima Martij, anno 1518. Quòd si Fratres, Sororesque tertij Ordinis, quid amplius præterendant vigore consuetudinibus, posse ius suum prosequi in iudicio ordinario Hier. Card. Pamphilus.

3. Ex his apparet, me his diebus probabiliter respondisse Gubernatoribus Montis Pietatis, suprascriptas mulieres Tertiarias, si habuerint requisita expressa in dicto responso Cardinalium, consequi posse legatum relictum pro Monachatu, licet contrarium doceat noster Franciscus del Castillo *lib. 1. decis. 88. n. 2.* & Aloysius Riccius *part. 4. collect. 1051.* Et ratio nostræ sententiæ desumpta est ex *§. sed hoc. presenti. Auben. de sanct. Episc. coll. 9.* Nec obstat Bartolus in *leg. commodissime ff. de fil. & post. lib.* quia loquitur de ingressu Monasterij, non autem de simplici Monachatu. Et ita fuisse decisum apud Rectores Orphanatarum, & in Curia Archiepiscopali Panormitana, testatur Castillo; vbi *suprà*, licet, vt diximus, ipse contrarium sentiat. Idem etiam fuisse decisum apud Rectores S. Barbaræ, & Montis Pietatis, mihi constat. Et ita etiam tenuit P. Ioseph Ragusa, Societatis Iesv, in quodam Consilio in fauorem Monachatus dictarum mulierum. Vide etiam Soulam in *tract. de Tertiariis.*

RESOL. CLXXVI.

*An oblati viuentes in aliquo Monasterio gaudeant priuilegio fori ?  
Et an illi homines, qui assumpto habitu Religioso adhibentur*

Sup. hoc priuilegio canonis in Ref. 1. not. præterite, §. vit. in princ. pio.

Sup. hoc etiã cursum in tom. 1. 2. Ref. 52. ad lin. 5.

Sup. his mulieribus in fine Ref. 85. & in to. 7. tit. 1. Ref. 352. & in alio §. eius not.